



DE  
RITE DIIVDICANDA  
HAEMORRHAGIARVM  
IN FEBRIBVS INTERMITTENTIBVS  
SALVBRITATE

---

DIVINI NVMINIS AVSPICHS

ET  
CONSENSV GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

**D. ANDREA ELIA BÜCHNERO**

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS, A CONSILIIS INTIMIS,  
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
FACVLT. MED. SENIORE ET H. T. DECANO, REGIOR. ALVMN. EPHORO,  
IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO;  
REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
ET MONSPELIENS. SODALI,

**PRO GRADV DOCTORIS**

SVMMSQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

DIE V. NOVEMBERIS, A. R. S. MDCCCXLV.

H. L. Q. C.

PVBLICE DISPVTABIT  
AVCTOR

**CAROL. FRIDERICVS GVILIELM. RVDOLPH**

MARIAEMONTANO-MISNICVS.

---

HALAE MAGDEBVRG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAE.

RITE DIVINANDA  
MEMORIALIARVM

COELENY GAT...  
FRASIDE  
D. ANBRRA ILLA B. CHINIRO

PROGRADY DOOTORIS

CAROL...  
RADOLPH





§. I.

*Introitus.*



Sanguinis profluvia, siue artis auxilio produ-  
cta, siue spontaneo naturae conamine ena-  
ta, maximam merentur in Febribus inter-  
mittentibus attentionem. In his enim non  
solum valde inconstantis sunt salubritatis,  
ita, vt modo summam vtilitatem, modo mortem, modo an-  
cipitem & protractam morbi solutionem attulisse visa sint;  
verum nubes etiam obseruationum testatur, adeo abstru-  
sam esse eiusmodi haemorrhagiarum prognosin, vt a pruden-  
tissimo quoque sapientissimoque Medico diuinari saepissime  
nequeat. Non alienum ergo a Speciminis inauguralis digni-  
tate esse putavi, si, quantum experientiae & rationis ductu  
progredi licet, ea adferrem momenta, quae ad rite diiudican-  
dam *Haemorrhagiarum, in febribus intermittentibus* compa-  
rentium, *salubritatem* facere possunt. Dicam itaque *primo*  
de nonnullis, ad intermittentium febrium naturam spectanti-

bus; loquar *secundo* de causis haemorrhagiarum naturalium, quae illis accedunt; differam *tertio* de harum & artificialium salubritate & noxa; demum *quarto* quae ad praxin spectant subnectam. FAXIT DEVS feliciter!

## § II.

*Februm intermittentium definitio & diuisio.*

Superfluum sine dubio forer, omnia hic, quae febres intermittentes respiciunt, recoquere. Quot enim Scripta, quot Dissertationes iam exstant, quae, ingratae echus instar, saepe dicta in Pathologia repercutiunt? Definitio interim earum, species & causa omitti hic nequeunt. De his itaque ordiar. Plurimi Pathologi (forsitan omnes) febrem intermittentem eam dicunt febrem, quae, licet nondum sit in integrum sublata, plenariam tamen ad tempus aegroti apyrexiam concedit. Saepe haec definitio optime quadrat. At incidunt quoque casus, ubi *aeger*, febre vere intermittente decumbens, *numquam febre liber inuenitur, ita, ut morbus tunc saepe a minus peritis pro febre continua habeatur* (v. SWIETEN *Comment. in Aphorism. BOERHAAVII* Tom. III. §. 748.). Numquid ergo data definitio est completa? Minime! Addendum itaque ei id, quod in allato etiam casu febres intermittentes a continuis distinguit. Quid vero? *Vrina lateritia*. Non equidem haec vrina omni febri intermittenti competit. *In vernis enim, & imprimis tertianis exquisitis, quarum paroxysmi ultra duodecim horas non extenduntur, immo quandoque in primis autumnalium paroxysmis talis vrina non inuenitur, sed plerumque tunc tantum, quando validiores paroxysmi adsunt* (van SWIETEN l. cit. §. 751.). Neque etiam soli intermittenti febri propria est. In ictero enim & scorbuto similis obseruatur. Nihilominus, addito hoc signo, data definitio omnia

omnia continet, quae ad distinguendas febres intermittentes ab aliis morbis sufficere possunt. Omnes enim febres intermittentes vel mitiores sunt, vel grauiores. Si prius: non poterunt non vere intermittere, tuncque allata definitio vulgaris sufficiens erit. Si vero posterius contigerit: validiores formabunt paroxysmos; quo in casu vrina lateritia adparebit, utpote grauioribus febribus intermittibus plerumque tantum propria. Quando itaque dico, *febrem intermittentem esse febrem*, quae vel ante veram sui solutionem ad plenariam peruenit apyrexiam, vel continua quidem videtur, sed vrinam lateritiam producit: omnes tunc febres intermittentes sub hac definitione comprehenduntur. Dein, adiecto licet hoc signo, neque cum ictero, neque cum scorbuto possumus febrem intermittentem confundere. In scorbuto enim nulla adest febris, quae vrinam istam lateritiam produceret; in ictero vero rubor differt. *Vrina enim, inquit SYDENHAMVS, in intermittibus vtpulurimum rubore saturato exstat, qualis cernitur in vrina eorum, qui ictero laborant, etsi non adeo intense rubet* (Epistol. Respon. I.). Quoniam ergo suppeditata definitio non solum ad febres intermittentes omnes adplicari potest, verum hisce etiam solis competit: dubium non est, quin vera numerisque omnibus sit absoluta. Ex his autem simul intelligitur, febres intermittentes vel vere intermittere, vel continuitatem quasi adspirare. Illae *intermittentes verae*, hae *intermittentes continuae* nuncupantur. Abeunt porro in *quotidianam, tertianam, quartanam, quintanam, sextanam, septenariam, octanam, nonariam, menstruam, trimestrem & annuam*. Diuiduntur dein in *epidemicas, endemias & sporadicas*; in *vernales & autumnales*; in *malignas & benignas*; in *contagiosas & minus contagiosas*; in *simplices, duplices, triplices*; in *exquisitas, extensas leu protractas, & intermittentes*

*simpliciter tales; in syncopales, soporosas, apoplecticas, &c.* Febres denique intermittentes *topicas seu locales* extitisse, obseruatio docuit. Pauca de his omnibus in Scholio dicam.

SCHOL. I. Nimis forsitan laboriosus, nimis subtilis, nimumque nodum in scirpo quaerere quibusdam videbor, dum accuratiorem vulgari febrium intermittentium vrgeo definitionem. Ne vero dicam hancece iure mereri videar, de necessitate & vtilitate accuratioris definitionis differendum erit. Notarunt nempe accuratissimi Obseruatores, quod, quando febres intermittentes continuas, continuarum verarum instar tractantur, non leue hinc corpus capiat detrimentum. Innuuit hoc BOERHAAVIUS Aphorism. 748. *Saepe, inquit, initio autumnalium acmulantur exacte indolem continuarum, ob longiores & duplicatos paroxysmos, dum tamen indoles & curatio plane diuersae sunt.* Perillustr. van SWIETEN, in Comment. ad h. l. noxam eiusmodi curationis plenius exponit. Postquam enim dixerat, febres intermittentes autumnales continuarum modo incedere solere, aliaque, ad signa & causas illarum spectantia, adduxerat, haec addit: *Magni momenti est in praxi medica, haec distinguere posse, quia nec venaesectio, nec aia debilitantia remedia adeo locum habent in his febribus, quae, ex intermittentium genere cum sint, continuas mentiuntur tamen. Similem enim curam requirunt ac intermittentes, quibus talia nocere postea patebit, quando de illarum curatione agetur.* Quum itaque in ipsa curatione permagni interfit, febres intermittentes continuas a vere continuis distinguere: omnem procul dubio lapidem mouere debemus, vt caueatur, ne notio directrix, definitio nempe, confusio ansam praebet. Vulgaris autem ista febrium intermittentium definitio manifesto ad hunc errorem ducit, dum omnes febres intermittentes continuas ex numero febrium intermittentium proseribit & ad febres continuas relegat. Nonne ergo quam maxime necessarium est, vt accuratior inueniatur? Sed dices forsitan: SYDENHAMVS, BOERHAAVIUS, alique curarunt felicissime febres intermittentes, quamuis, contenti vulgari definitione, nullam aliam quaesuerint.



fuerint. Largior id. Verum scripta horum Virorum testantur, quod febrium intermittantium continuarum praesentiam minime ex data febrium intermittantium definitione, sed ex aliis signis diiudicauerint. Conf. v. g. BOERHAAVI *Aphorism.* §. 727. 746. cum iis, quae *Perillustr. v. SWIETEN* l. cit. §. 748. dicit. Tacite ergo definitionis insufficientiam agnouerunt. Dein sanarunt quidem febres intermittentes continuas, sed ideo tantum, quod datam definitionem non secuti sint. Infelicem certo certius adhibuissent medendi methodum, si, definitioni inhaerentes, ex hac febres intermittentes determinassent. Numquid ergo imitandi sunt? Numquid error adoptandus, quod, fauente fortuna, sine damno exstiterit? Absit! Quaeritur iam, quale id esse debeat signum, quod, additum notae definitioni, hanc sufficientem reddat? Rigori multum in cognoscendis febribus intermittentibus tribuere videtur GALENVS. Atque certum etiam est, quod horror istarum febrium plerumque frigus continuarum superet, siue magnitudine, siue diuturnitate (*van SWIETEN* l. c. §. 749). Nonne itaque eo ad dignoscendas febres intermittentes uti possumus? Possumus omnino, si alia adsint signa. Alias non sufficit. Dantur enim febres intermittentes, in quibus hoc symptoma non adeo est molestum (*van SWIETEN* l. m. c.); immo dantur, in quibus frigus plane nullum obseruatur. Contigit enim nonnunquam in febribus intermittentibus, ut, docente SYDENHAMO, earum paroxysmi non cum rigore & horrore, quos postea febris excipit, imadant, sed aeger iisdem plane symptomatibus tenetur, ac si apoplexia vera laboraret (l. c.). Clar. STÖRCK (Ann. med. l. pag. 75.) idem fere testatur: Non omnes, inquit, paroxysmi cum frigore inceperunt, sed erant quidam aegri, qui illico citra omnem horripilationem magnum aestum conquesti sunt, quo cessante copiose sudarunt. Quum ergo rigor neque in omni febre intermittente compareat, neque semper adeo insignis sit: ad dignoscendas febres intermittentes minime erit sufficiens. Accedit, quod in febribus etiam continuis nonnunquam satis insignis obseruetur horror. Qui, choleram atrocissimam parituriens, omnia sollicito animaduvertebat, celeberr. TRALLES, horrore

rore & frigore intensissimo corripiebatur per horulae spatium,  
 totum corpus ruditer concutiente & vomitiones molestissimas  
 mouente. Nihilominus continua, non intermittens, aderat fe-  
 bris. Vid. eius Histor. Cholerae atrociss. pag. 35. Fallax ergo  
 erit horror, in dignoscendis febrium speciebus, signum. Prae-  
 ter horrorem alii epidemicam constitutionem & statum aegri  
 praegressum attendenda esse volunt, ut febris intermittens  
 continua a vera continua distinguatur. Quando nempe ex  
 epidemica constitutione didicimus, grassari nunc febres inter-  
 mittentes duplicatas, triplicatas: tunc febrem continuam in aeg-  
 ro quodam deregentes, de intermittente illius natura certi  
 esse possumus. Vel, quando deinde in alio casu ex statu aegri  
 praecedente cognoscimus, laborasse eum febre vere intermit-  
 tente, nunc vero continua eundem detineri deprehendimus,  
 hanc ad intermittentium classem pertinere, dubitare vix possumus.  
 Ita iudicat Perillustr. v. SWIETEN l. c. §. 749. Verum,  
 quod pace magni Viri dixerim, minus mihi haec signa suffi-  
 cere videntur. Epidemica enim constitutione, febres inter-  
 mittentes continuas magis, quam vere intermittentes ingene-  
 rante, tunc demum tanquam signo febrium intermittentium  
 continuarum diagnostico uti possumus, quando iam aliquam-  
 diu durauit latiusque quasi sese extendit, & vera est febrium  
 istarum causa. Quale vero habebimus harum febrium si-  
 gnum, quando epidemica constitutio ingruit, ubi pauciora  
 subiecta corripuntur? Quali utemur signo, quando, nulla prae-  
 sente epidemica constitutione, in unico tantum subiecto ab  
 initio statim febris oritur intermittens continua? In altero ca-  
 su, ex statu equidem aegri antecedente, mutatam esse febrem  
 vere intermittentem in febrem intermittentem continuam, in-  
 telligimus. Quum autem praeter hunc casum alii dentur, in  
 quibus febres intermittentes continuas oboriuntur; aliud magis  
 vniuersale quaerendum erit signum, quod in urina latericia  
 ponendum esse in §. euici. Hanc optime, quantum memini,  
 descripsit Perillustr. van SWIETEN l. c. §. 751. *Urina emissa sudoris  
 tempore, inquit, vel & post paroxysmum finitum, saepe se-  
 quenti modo sese habet: dum emittitur, rubicunda est, tota quasi  
 sapon-*

saponacea & spumescens; deinde postquam stetit per aliquod tempus, pellicula in summitate urinae adparet, vasis continentis lateribus accreta, in fundo autem vasis magna copia sedimenti haeret, quod colore suo laterum colorum, vel boli armenae polinam imitatur, unde & haec urina lateritia solet vocari. Celeberr. TISSOT hanc urinam vnum ex optimis signis febrium intermittentium diagnosticis nominat, quod ipsis solis proprium sit, additque, interdum esse spumescentem, & pelliculam istam in summitate eius formari. Vid. *Avis au peuple sur sa santé*, Edit. germ. pag. 264. Sedimentum itaque in hac urina potissimum attendi meretur.

SCHOL. II. De speciebus nunc & diuisione febrium intermittentium pauca adhuc monenda sunt. Febrem vere intermittentem, & intermittentem continuam, definiui iam in §. Caue modo, ne hanc cum vere continua confundas (Schol. I.). Essentialiter enim differunt. Continuitas febris intermittens continuae ab extensis & duplicatis paroxysmis pender (BOERHAAVE l. c. §. 748.); in febribus autem vere continuis neque extensione, neque multiplicatione paroxysmorum opus est. In illis ergo continuitas est conditio accidentalis, in his essentialis. Nonne itaque quam maxime a se inuicem recedunt? Praeterea febres intermittentes continuac vel antea verae fuerunt intermittentes, vel demum in has transeunt (v. SWIETEN *Commentar.* in §. 748.). Verae autem continuac, quamdiu durant, numquam plane intermittunt. Causae dein, symptomata, curatio differunt. Haec enim in febribus intermittibus continuis naturae magis febrium intermittentium, quam continuarum respondent. Considerabimus nunc reliquas diuisiones. *Epidemicac* vocantur eae, quae vno tempore plura subiecta inuadunt, licet in loco, vbi haec degunt, non semper causa istarum febrium vniuersalis existat. De his confer. SYDENHAMI *Observatio circa morb. acut. histor. & curat.* Sect. I. Cap. V. & *Epistol. Respons. I.* HOFFMANNI *Medic. consultat.* Part. I. pag. 90. Part. IV. pag. 167. Part. VI. pag. 355. van SWIETEN l. c. §§. 748. 767. WERLHOFFII *Observat. de Febribus.*

WILLISII *Oper. omn.* pag. 100. & 201. seqq. in *Tr. de Febris.*  
 SYLVII *Oper. omn.* pag. 794. seqq. TISSOT. l. c. pag. 161. 262.  
*Commerc. liter. Norimb. an. 1731.* pag. 173. & pluribus aliis lo-  
 cis; STORCH *Observat. clin.* atque innumeri alii, qui ab his  
 passim citantur. *Endemiae* multa subiecta, quae in eadem re-  
 gione viuunt, vno tempore infestant, idque ob causam, quae  
 tali regioni semper prae ceteris competit. Vid. de his HUX-  
 HAMI *Oper. omn.* Tom. II. Cap. II. pag. 29. *Sporadicae* demum  
 pauca subiecta, vel vnicum inuadunt. *Malignae* insolita &  
 periculosa habent symptomata; quorsum syncopales, apople-  
 thicae, comatosae, &c. referuntur (WERLHOF l. c. EYGALENS  
*de Scorbuto* pag. 202. Illustr. PRAESES *Fundam. Pathol. spec.*  
 Sect. I. Cap. IV. §§. I. II. & *Dissert. de Febre tertiana intermitt.*  
*epidemia soporosa, Apoplecticam mentiente, ut plur. funesta &c.*  
 Hal. 1763. TISSOT l. c. pag. 276. ELLER *Observat. de cognosc.*  
*& cur. morb.* pag. 51.) *Benignae* autem ordine & symptoma-  
 tibus consuetis incedunt. Istitis *contagiosae* adnumerantur (Ill.  
 PRAESES l. m. c.), quae nonnumquam obseruatae sunt. Vid.  
 WILLISIVS l. c. pag. 205. COLINY *Tract. de Febris intermitt.*  
*cognosc. & cur.* pag. 97. STORCH *Prax. Stahlian.* p. 978. & plu-  
 res, qui de febribus intermittentibus epidemicis scripserunt.  
*Simplices* nominantur, quae ex vna tantum febre intermitte-  
 re constant. *Duplices* vero, *triplices*, &c. quae ex pluribus com-  
 positae sunt. *Quotidianam duplicem* pluries vidit CLAR. STORCK  
 (*Ann. med.* II. pag. 164.) *Tertianam triplicatam* obseruauit GA-  
 LENS (v. SWIETEN l. c. §. 746.) Confer. etiam de HAEN *Di-  
 uis. Febr.* pag. m. 16. MORONI *Director. medico-pract.* pag. 77.  
*Vermae* dicuntur quae a Februario ad Augustum comparent;  
 quae vero ab Augusto ad Februarium caput extollunt, *autum-  
 nales* nominantur (SYDENHAM *Observat.* l. cit. BOERHAAVE l. c.  
 §. 747.) *Diuisio* febrium intermittentium in *exquisite*, *pro-  
 tractas*, & *intermittentes simpliciter tales*, GALENO debetur, qui  
 tertianam ita distinxit. Vid. v. SWIETEN §. 746. Quod ra-  
 riores istas febrium intermittentium species attinet, *quintanam*  
 nempe, *sextanam*, &c. plura de his in *Obseruatorum monu-  
 mentis*

mentis existant. Pauca in tanto eorum numero afferam. Conf. ergo HIPPOCRATIS *Epidemic.* Lib. I. GALENI *Commentar. in Libr. I. Epidemic.* Illustr. PRAESIDIS *Miscellan. phys. med. mathem. ann. 1729.* p. 444. Illustr. b. m. IVNCKERI *Consp. Therap. spec.* pag. 673. PANAROLI *Observ. med.* Pentec. 2. *Observ.* 33. FORESTI *Observat. & curat.* Libr. 3. *Observ.* 43. TVLPII *Observat. med.* Libr. III. Cap. 52. RHODII *Observat. med.* Cent. I. *Observ.* 18. SCHENCKII *Observat. med.* Libr. VI. BOERHAAVE l. c. §. 746. van SWIETEN l. c. de HAEN l. c. p. 16. 17. TISSOT l. c. pag. 262. STORCH l. m. c. pag. 965. seqq. COLINY loc. cit. pag. 11. 12. De *topica* demum febre intermittente vid. Perillustr. v. SWIETEN l. c. §. 757. pag. 534. 535. qui memorabiles casus affert. COLINY l. c. pag. 94. signa huius febris diagnostica commemorat. Vid. etiam TISSOT loc. cit. pag. 277. STÖRCK *Ann. med.* I. p. 75. seqq. Hi & similes casus valde notari merentur. Si *topica* eiusmodi febris pro alio morbo, vel inflammatorio, vel spastico habeatur: curatio frustranea suscipitur. Solus cortex Peruvianus feliciter curationem absolvit; derivantia, euacuantia, antispastica aliaque similia incassum adhibentur. Haec ceterum observatio multum lucis accendit in Pathologia, quod pluribus ostendere possem, nisi id tantum adnotasse mihi hic sufficere deberet.

§. III.

*Causa febrium intermittentium indagatur.*

Species febrium intermittentium adduxi, ut haemorrhagiae, in hac vel illa subsecutae aut administratae, eo facilius deinde diiudicari queant. Eadem vero haec necessitas me cogit, ut ad indagandam febrium intermittentium causam descendam, quae adeo est abst. usa, adeo recondita & a Pathologis agitata, ut lubens eam in medio relinquerem, nisi, hac omissa, magno soliditatis fundamento meam Dissertationem destitui praeviderem. Conabimur itaque, quantum vires permittunt, aetiologiam istarum febrium inquirere. Id equidem, credo, fa-

tis luculenter per obseruationes accuratissimas constat, quod febres intermittentes dentur, quae a solo neruorum vitio originem suam sumunt. Docent id animi pathemata, quae in sanissimo etiam homine eiusmodi febres produxerunt. Vidit Perillustr. van SWIETEN *sanissimam virginem, dum glire conspecto terrebatur, illico primum paroxysmum habuisse quartanae, quae dein tota hyeme mansit, verno tempore soluta feliciter: cunque iam per binos menses a febre libera fuisset, mala fortuna iterum, a petulanti puero, mortuo glire in vestes proiecto, territa, quartanae plures paroxysmos passa fuit.* Similem casum affert Celeberr. TRALLES in *Tr. de Usu Opii salubri & nociuo in morb. med. Sect. II. p. 70. seq.* Sanissima erat foemina, quae ex terrore & auersatione febrem tertianam concipiebat, cortice vero Peruuiano & Laudano liquido feliciter post duos paroxysmos profligatam. In his & aliis casibus similibus, quibus Obseruatorum monumenta turgent, non poterit non febris intermittens causa in neruis latere. Causa enim haeret manifesto in animi pathemate, quod per neruos tantum in corpus operatur. Praeterea eiusmodi febris per ea tantum remedia abigitur, quae enormem aut inordinatum spirituum motum corrigunt, quorum cortex Peruuianus & Opiata referenda. Dantur itaque sine dubio febres intermittentes, quae ex solo neruorum vitio oriuntur. Nonne vero etiam febres intermittentes subnascuntur, quarum causa in cruda quadam materia, primas vias occupante, aut viscera abdominalia obstruente, sita est? Ita sane videri possit. Docuit enim obseruatio, vnicum nonnunquam vomitorium, aut vnicum catharsin feliciter sustulisse febres intermittentes (WERLHOEF *Observat. de Febr. pag. 42.*); a neglecta post febrem catharsis multa mala facile oriri (SYDENHAM *Oper. omn. pag. 158.*); manifesta saepe crudiorum in primis viis aesse signa, nauisam  
nempe,

nempe, anxietatem, sordes linguae, vertigines, tormina, inflationes, aliaque (BOERHAAVE l. c. §. 759. & *Perillustr. v. SWIETEN Comment. ad h. l.*); febres intermittentes haud raro cum hepatis potissimum laesione, scorbuto & ictero stipari (WERLHOF l. c. pag. 22. seqq. pag. 27. seqq. HOFFMANNI *Med. consult. Part. IV. pag. 167. EVGALENVS de Scorbuto pag. 203. COLINY l. c. pag. 13.*); sponte haud raro cum morbi decremento vomitum oriri aut alui fluxum (*Perillustr. v. SWIETEN l. cit. §. 751.*); constitutionem demum aëris, quae toties, docentibus id SYDENHAMO, BOERHAAVIO, HOFFMANNO, WERLHOFIO, WILISIO, aliisque, febres intermittentes ingenerat, alio vix modo, quam liquida nostra mutando & mala crasi afficiendo, eas producere posse. Haec, inquam, omnia, iisque similia, causam februm intermittentium in cruditatibus, vel primis viis innidulantibus, vel stasin in visceribus abdominalibus formantibus, positam esse, euincere videri possunt; ut ideo mirandum non sit, quod plurimi famigeratissimi Medici huic sententiae calculum suum adiecerint. Verum enim vero, licet haec omnia ita sint, credo tamen, probabili ratione deduci posse, causam februm intermittentium in his quoque casibus a neruorum vitio repetendam esse. Noli autem putare, me cruditates istas nunquam pro causâ februm intermittentium habere. Recidivae harum februm, a leui etiam vitio diaetetico productae, satis ostendunt, quam foecundae sint cruditates februm intermittentium genitrices. Id tantum cum *Perillustr. van SWIETEN* & paucis aliis contendo, quod, quando eiusmodi cruditates febres istas efficiunt, causâ tunc magis proxima nihilominus in neruorum vitio lateat. Pulcherrime hac de re disseruit *Perill. van SWIETEN l. c. §. 757.* licet ingenue fatear, nonnulla hic occurrere, quae defendere nollem. Non adducam haec eius argumenta, sed alia argumentatione utar, qua brevius haec res

expediri potest. Quando nempe a cruditatibus, descriptis in locis haerentibus, febris intermittens oritur: haec duplici tantum ex causa generari potest. Vel enim propter auctam fluidorum stagnantium resistantiam, vel ob irritationem grauiorem nascitur. Ab vtraque enim causa febrim produci posse, ex Pathologia notum est. Ab aucta autem ista resistantia febris intermittens deduci nequit. Quodsi enim abinde oriretur: inflammatoria potius esset, quam intermittens, quae tamen illam, licet magnam inter vtramque convenientiam statuat HUXHAMVS, multis parasangis relinquit. Quum ergo cruditates ob auctam resistantiam febrem intermittente[m] ingenerare nequeant: sola nunc remanet irritatio, qua eandem creare possunt. Verum duplex iterum in corpore humano datur irritatio. Vna irritabilitatem, altera sensibilitatem respicit. Quae nam hic assumenda? Difficilis sane quaestio! Adeo enim arcto nexu inter se inuicem cohaerent sensibilitas & irritabilitas, vt in hoc casu vix determinari queat, quae nam agat? Quodsi interea cogitaueris, febrem intermittente[m] in cerebrum potissimum agere, dum epilepsiam soluit, maniam vero, affectus soporosos, apoplexiam, immo nonnunquam conuulsiones producit, qua de re HIPPOCRATES, SYDENHAMVS, WERLHOEVS alique conferri possunt: non immerito hinc forsitan colligere poteris, ad producendas febres intermittentes irritatione potius neruorum, quam musculorum, opus esse. Concludimus autem ex his, *causam febrium intermittentium vel in vitio neruorum solo latere, vel ita esse comparatam, vt remotius in cruditatibus, aut in primis viis, aut in visceribus abdominalibus collectis, proximius vero in neruis, ab istis valdeius irritatis, haereat.* Plura vide in Perillustr. van SWIETEN Comment. loc. cit.

SCHOL. Quum mihi proprie cum natura febrium intermitten-



mittentium minime res sit: pluribus etiam momentis superse-  
deo, quibus allata in §. thesis corroborari possit. Dici autem  
vix potest, in quam diuersas partes Pathologi, causam febrim  
intermittentium determinantes, abierint. HIPPOCRATES  
eas a bile, & quartanam potissimum ab humore melancholico  
deducit. GALENVS pituitam, bilem & succum melancholico-  
cum accusat. PARACELSVS & Chemicus Tartarum, Mercurium,  
Terram, Sulphur foetidum, cum dissoluto Mercurio & impu-  
ro Sale in hepatis regione conglomeratum, assument. HEL-  
MONTIVS acori corrupto, Archaeum irritanti, eas tribuit.  
CARTESIANI certis particulis, cum sanguineis nullam propor-  
tionem seruantibus, fauent. SYLVIVS causam istam in pitui-  
ta crassiore, corrupta & copiosiore, pancreati potissimum ini-  
mica, quaerit. WILLISIVS sanguinem acidum fermentantem,  
spirituosaque sua parte, vt vinum & cereuisia tonitru commo-  
ta, orbarum, atque nitroso-sulphuream materiem affert.  
WIRDIG febres omnes spirituum morbos esse dicit. MORTON  
a venenato fermento, in gremio spirituum delitescente, atque  
statis periodis, pro genio veneni, reuifcescente, febres inter-  
mittentes deducit. BOERHAAVE in liquidi arteriosi immeabili-  
tate, & forsitan neruosi inertia, causam febrium intermitten-  
tium latere dicit. Perillustr. van SWIETEN causam febrium in-  
termittentium in neruis aut eorum principio quaerit, modo  
cum, modo sine materia alia accedente eas producentem. CO-  
LINV werlhofivs eas produci credit a materia, quae nasci-  
tur forsitan, aut a peregrina quadam impuritate aquosa & aë-  
rea, ex aquis in diuersimode variam, lixiuam, sulphuream &  
vaporosam, fortassis etiam verminosam putredinem, stagna-  
tionem & elateris expansionem, & motu partium intestino resolu-  
tis, hausta infeliciter, vel in cibis assumpta, aut ex pariter cor-  
ruptis alicubi ipsius corporis succis, aut ipsis partibus solidis.  
Plurimi demum Pathologi recentiores istas febres eruditibus  
primarum viarum, aut viscera abdominalia oppilantibus, de-  
beri arbitrantur. Hae aliaeque sententiae ex iis, quae in §.  
addu-

adduxi, diiudicari possunt. Quodnam vero neruorum vitium febres intermittentes efficit? Illud procul dubio, quod ab irritatione nascitur, actio nempe inordinata & grauior. BOERHAAVIUS equidem inertiam liquidi neruosi assumit. Verum caussae febrium intermittantium remotae, e. gr. cathartica, animi pathemata fortiora aliaque, earum subiecta, vt & febris ipsa, satis declarant, spirituum non inertiam, sed potius exagitationem & mobilitatem febres intermittentes producere. Atque haec de caussa febrium intermittantium dixisse sufficiant.

## §. IV.

*Caussae haemorrhagiarum spontanearum in febribus intermittibus.*

Praemissis iam iis, quae de febrium intermittantium natura differenda erant, ad *caussas* nunc *spontanearum haemorrhagiarum*, in iisdem obuientium, transeo. Haec enim tractatio requiritur, partim vt patefcat, spontaneam haemorrhagiam feбри intermittenti accedere posse, partim vt iudicium de salubritate earundem formari queat. *Haemorrhagia* autem est sanguinis euacuatio. Haec ab *extrauafatione* adhuc est distinguenda, quae quidem egressum sanguinis ex partibus continentibus postulat, minime tamen semper cum euacuatione est connexa. Quae vero haemorrhagia a natura fit, est *spontanea*, cui, quae a caussa violenta contingit, aut artis auxilio excitatur, contradistinguitur. Nunc in Pathologia praecipitur, caussam haemorrhagiae spontaneae latere modo in congestione sanguinis ad locum haemorrhagicum, modo in acrimonia sanguinis, modo in illius nimia tenuitate, modo demum in enormi illius versus vasa loci cuiusdam haemorrhagici imperu. Quae ritur ergo: an istae etiam circumstantiae sub febribus intermittibus subnasci queant, ideoque spontanea quaedam haemorrhagia contingere possit? Considerans

derans iam omnia, quae in febribus intermittentibus adesse possunt, momenta, haecque cum observationibus comparans, sequentes deteges haemorrhagiarum spontanearum causas. Pertinet nempe huc I. *spasmus in peripheria ingens*. Monui in superioribus, horrorem in febribus intermittentibus plerumque prae ceteris esse diuturniorem & validiorem, ita, ut in eo magnum quoad diagnofin pofuerit GALENVS fundamentum. Quoniam nunc sub eiusmodi horrore fluida verfus interiora ruunt, ad caput poriffimum & pulmones propellenda: ipfe ille fpasmus ingens cauffam haemorrhagiae spontaneae fuppeditare potest. Pertinet huc forfitan BALLONII obferuatio: *Nobilis*, inquit, (Epid. Libr. II. pag. 267.) *vir febre tertiana laborat. Medicus, qui illi medebatur, uti erat εμφοβος, detractionem fanguinis neglexit. Quarto paroxyfmo, ruptis veluti venis, & facto impetu quodam in partibus internis, tanta foras excretio fanguinis est confequta, ut eo ipfo die illi ob-eundum fuerit.* Haemorrhagias, ab eadem cauffa proficifcentes, vidiffè viderur MORTON. Notat enim (*de Febr. intermitt. pag. 55.*), Venaefectionem in febribus intermittentibus nocere, *praefertim in primo infultu paroxyfmi, priusquam fpiritus feffe libere expandant, perperam celebratam*; demum addit: *Idem non raro in praxi obferuare licet, vbi a natura ipfa magnae haemorrhagiae in primo paroxyfmi infultu contingunt.* II. *Aeftus febrilis*. Dum nempe fub frigore febrili fluida verfus interiora pelluntur & cor languidius agit, communiter fanguis immeabilis fere redditur. Accedente dein aestu febrili, cor validius agere incipit. Quoniam autem fanguis fere immeabilis in his vel illis partibus haeret, & refiftentia in cute quadantenus adhuc permanet (quod ex fudoris defectu colligere licet): facile fit, ut cor fanguinem nimium verfus ea loca impellat, vbi is iam ftagnat, hincque spontaneae

C

haemor-

haemorrhagiae caussa euadat. Neque deficiunt exempla haemorrhagiarum sub aestu obseruatarum. Clariss. STÖRCK. (Ann. med. II. pag. 165.) eiusmodi casum describit: *Vir, inquit, fuit XXXIII. annorum, qui omni alterno die circa IX. matutinam per totum corpus sensit horrorem, dein frigus ingens, tandem pectoris summam angustiam, & pulsus deprehendebatur admodum febrilis. Remittente frigore ingrata aderat faucium siccitas & titillatio; hanc tussis siccissima & violentissima excepit, intumuit facies, livuerunt labia. Tandem tussi prodiit copiosissimus spumofus sanguis, & mox cessauit titillatio, pectoris anxietas, & aeger longe melius habuit, & sensim siluit tussis & sputum sanguineum. III. Resolutio sanguinis sub aestu & sudore febrili.* Sub aestu enim & sudore febrili sanguis, ob maiorem impetum, quo per vasa vehitur, magis resoluitur. Nonne itaque, concurrentibus maiori impetu & congestione versus has illasque partes, viam sibi extra corpus parare potest? Vidit eiusmodi haemorrhagiam STORCHIVS (*Observat. clin. ann. 1721. pag. 175.*): *Laborabat iuuenis robustus, durante sanitate ad narium haemorrhagiam & erysipelas procliuis, febre intermittente. Aestum febrilem excipiebat notabilis sudor, hunc vero haemorrhagia narium.*

## §. V.

*Aliae harum haemorrhagiarum caussae.*

Verum enim vero dantur adhuc aliae caussae, quae facere possunt, vt spontanea haemorrhagia febribus intermittentibus accedat. Huc nempe reuocari debet IV. *sanguinis acrimonia.* Notauit BOERHAAVIUS (l. c. §. 753.), acrimoniam sanguini a febribus intermittentibus induci posse. Notum praeterea est, Ictericum & Scorbutum saepe saepius vel ob aëris constitutionem, vel ob febris diuturnitatem, vel ob aliam quam

quamcunque causam, febrim intermittenti adiungi, qua de re WERLHOFFVS & EVGALENVS l. c. conferri possunt. Vid. quoque SYDENHAMVS *Oper. omz.* pag. 50. Nunc sanguinis acrimonia, Scorbutus, Icterus, haud infrequentes sunt haemorrhagiarum causae. Poteritne ergo abinde in febribus intermittibus eiusmodi profluvium enasci? Postquam in *Commentar. ad Apborismum cit.* docuerit Perillustr. *van SWIETEN*, sanguinem in validis & diurnis febribus intermittibus corrumpi, sequentia adhuc addit: *Vidi in virgine, quartanam diurnam & validam passa, sanguinem magna copia ex gingivis erupisse; & in palpebris absque vlla externa laesione natas fuisse ecchymoses.* V. *Obstructio viscerum.* Quum sub febre intermittente liquidissima fluidorum pars sensim dissipetur: fieri aliter non potest, quin visciditas demum & spissitudo inducatur (BOERHAAVE l. m. c.). Hinc vero obstructions viscerum demum producuntur, vt in Pathologia euincitur. Nonne itaque illae febrim intermittenti accedere possunt? Praeterea epidemica illa aëris constitutio, quae febrium intermittentium generi fauet, & corrumpendo fluida humani corporis agit, in hepar saepe partesque vicinas potissimum vim suam exserit, prouti id febres intermittentes biliosae satis docent, quae icteritio colore corpus inquinant, aliaque ictero familiaria symptomata producunt. Conf. Perillustr. *van SWIETEN* l. c. ad §. 767. WERLHOFF l. cit. HOFFMANN l. cit. Tunc ergo noua aderit obstructions causa. Conf. SYDENHAMVS l. c. qui ventrem induratum ad symptomata quartanae refert. Atqui viscerum obstructio haemorrhagiarum causa existit, dum, faciliorem sanguinis transitum impediens, hunc circa alia loca accumulatur. Poterit ergo propter obstructa viscera in febribus intermittibus enasci. Vid. Illustr. PRAESIDIS *Fundam. Patholog. special.* Sect. III. Cap. I. pag. 206. §. VII. VI. *Debilitas corporis nimia.*

Febres enim intermittentes valde debilitant (Perillustr. van SWIETEN l.c. §. 753.), quo fit, ut vasa minus resistentia sanguinem facile transmittant (Illustr. PRAESES l. c. §§. I. II.). Hanc vasorum laxitatem inter causas, ut innumerorum malorum, ita etiam spontaneorum haemorrhagiarum in febribus intermittens numerat Perillustr. v. SWIETEN l. c. pag. 521. VII. *Mutatio in continuam.* Quum nempe notum sit, febrem continuam facile haemorrhagias spontaneas producere solere: necesse omnino est, ut, quando intermittens in continuam abit, hinc dispositio ad eiusmodi euacuationes augeatur. Pertinere huc videtur casus, quem de se ipso narrat Prosper ALPINUS: *Memini, inquit, (de Praesag. vita & morte aegrot. p. 442. seq.) proximo anno elapso, in quo me a febre quartana sanguinis copiosa excretio, in qua ad minus sex librae sanguinis profuxerunt, critice liberavit, inter alia signa post illam copiosam excretionem, omnibus fere immoderatam visam, obseruata, me nihil prorsus situisse, cum antea perpetuo* (quae verba bene notari velim) *vehementerque sitirem.* VIII. *Criticum molimen.* Spectat huc exemplum, quod modo adduxi. Idem alio loco (pag. 411.) describit Prosper ALPINUS his verbis: *Post quartanam febrem, quae nondum fuerat resoluta, repente expui, & per nares reieci ad minus sanguinem sex librarum ponderis, quo quartana febris (quod est rarissimum,) prorsus fuit iudicata.* Pulcre etiam hoc confirmatur obseruatis BARTHOLINI (Hist. anat. Cent. 3. Obs. 55.): *In non paucis, ait, meae curae subiectis obseruavi, quartanam, ubi desitura est, quotidie per studium perseverare, tandemque post largam diarrhoeam, vel haemorrhoides, vel sudores, terminari cum salute aegrorum. Ratio est, quod mota in corpore materia, & sedibus suis discussa, quotidie moueatur & quacunque crisi naturae facile tum expellatur, quod instante Solstitio feliciter succedere expertus sum.*

*sum.* Nonne ex his patet, haemorrhagiam spontaneam in febribus intermittibus nonnunquam a critico pendere molimine? Demum IX. *aliae haemorrhagiarum spontanearum causae* febrim intermittenti adiunctae esse possunt. Sic Plethora forsitam adfuit in casu, quem ex BALLONIO §. anteced. adduxi. Ita Venaesectio, male in febre intermittente administrata, haemorrhagiae narium excedentis, & tussim atque pleuritidem, febrem pectoralem mentientes, insequentis, existit causa (STORCH l. c. pag. 103.). Narrat HOFFMANNVS (*Medic. syst. rational.* Tom. IV. Part. I. pag. 76.) casum iuuenulae quartana correptae, cui post quartum paroxysmum Chirurgus per sectam venam largiter sanguinem subtraxit, & die post Pilulas dedit valide purgantes, quibus intra nyctem vigesies deiectum. Perstitit hic alui fluxus per aliquot dies cum torminibus, licet non tam numerosis sedibus, ac demum sanguis plane cum muco secessit. Venaesectio, purgans & epidemica constitutio, quae dysenteriae fauebat (vid. Epicris.), sanguinolentum huncce fluxum produxerunt. Praeter haec calida remedia vsurpata, dispositio, temperamentum, aliaque accidentalia concurrere possunt, ut spontanea in febribus intermittibus haemorrhagia oriatur. Plura tamen de his impraesentiarum differere non opus esse videtur.

SCHOL. Quum tot haemorrhagiarum spontanearum in febribus intermittibus existant causae: miraberis forsitam, qua fiat ratio, ut nihilo minus paullo infrequentius contingant. Desines vero mirari, quam primum cogitaueris: 1) causas, quae §. V. adduxi, non semper obtinere; 2) sub frigore ipsa sanguinis imbecillitate, qua fere spissescit, praecaveri haemorrhagias posse; 3) sub calore febrili vasa sensim liberiora reddi; 4) sudore subsequente & copiam massae sanguinae, & congestionem versus loca quaedam imminui. Quod interea, his non obstantibus, haemorrhagiae spontaneae in istis febribus

bus euenire queant, casus, quos passim attruli, satis euincere possunt. Nonne vero ex modo disputatis adparet, febres intermittentes ad veras haemorrhagias prouocandas minus esse procliuēs, nisi singulares plane accedant causae? Ita videtur. Ceterum, cum sanguis sub febribus intermittētibz ad pulmones maxime & caput coaceruetur, mirandum non erit, quod ipsis haemorrhagia narium & haemoptysis prae ceteris sint familiares. Interea & aliae haemorrhagiarum species ab Observatoribus passim adnotantur.

## §. VI

*Haemorrhagia ad febrem intermittētem, in se spectatam, relata, inutilis est.*

Quae haecenus, de natura febrium intermittētiū & causis spontanearum haemorrhagiarum, in illis obuenientium, dixi, haec eo tantum sine sunt allata, ut haemorrhagiarum, siue spontanearum, siue artificialium, quatenus in febribus intermittētibz oriuntur, aut excitantur, salubritas rite diiudicari queat. Sequitur ergo, ut de hac differamus. Ut autem haec res quam accuratissime expediatur: opus mihi esse videtur, haemorrhagias primo cum febre intermittēte, in se spectata, dein vero cum accidentalibus quibusdam circumstantiis, quae sub eadem locum habere possunt, comparare. Febris intermittens, in se spectata, nihil aliud supponit, quam essentialia febris cuiusdam intermittētis legitima praedicata, motum nempe liquidi neruei inordinatum (§. III.), atque symptomata febrilia necessaria, frigus nempe, aestum & sudorem cum sequente apyrexia. Numquid ergo haemorrhagia, ad eiusmodi febrem relata, utilis erit? Numquid potius inutilis & nociua? Inutilem esse, primo euincam. Salus enim, ab haemorrhagia quadam expectanda, consistit in eo, ut vel plethora imminuatur, vel orgasmus restinguatur, vel demum congestio,



gestio, imperrata deriuatione, decrescat. Praeter has vtilitates nulla alia haemorrhagiis tribui poterit. Omnes interea ita comparatae sunt, vt in febre intermittente, per se considerata, vsu sint destitutae. Quod enim plethorae imminutionem atinet: haec in eo tantum casu inter haemorrhagiarum vtilitates referri potest, vbi vera obtinet plethora. Verum febris intermittens in se spectata sibi eandem minime vindicat. Quamuis enim ab Illustri-STHALIO, eiusque asscclis, plethora pro vera febrium intermittantium habeatur causa, proque essentiali ideo istarum febrium conditione venditur: docuit tamen experientia, plethoram saepe saepius sine febre intermittente, atque hanc aequae frequenter sine plethora existere. Quum ergo ex his pateat, plethoram non necessariam esse in febribus intermittibus conditionem: sequitur hinc, eius rationem in consideranda febre intermittente, per se spectata, haberi non posse, atque ideo illius imminutionem ad salutare haemorrhagiarum, febribus intermittibus accedentium, effectus minime referendam esse, quando nempe febres intermittentes in se spectantur, vtpote quae absque plethora concomitante concipi debent. Quando autem haemorrhagiae in his febribus, quatenus plethoram imminuunt, sine vtilitate sunt: nonne eo magis forsitan conducunt, quatenus orgasmum sanguinis temperant? Poterit omnino, si orgasmi, praeter febre, causa validior accedat, vti dein videbimus, quando vtilem nonnumquam esse haemorrhagiam in febribus intermittibus demonstrabimus. Quodsi vero febris intermittens iterum in se spectata consideretur, sic neque ob orgasmi decrementum, quod saepe alias inducere solet, vtilis erit haemorrhagia. Tunc enim orgasmus a sola producitur febre, cuius ergo phaenomena tanta esse nequeunt, vt temperante indigeant haemorrhagia. Recensuit haec phaenomena BOERHAA-

VIVS (l. c. §. 750.). Spectat huc calor, rubor, respiratio fortis, magna, liberior, anxietas minor, pulsus maior, robustior, sitis magna, dolor artuum & capitis magnus, vrina plerumque rubra. Cuinam, quaeso, phaenomeno adaptanda esset haemorrhagia? Calori? Verum is resoluendo immeabili inferuit. Siti magnae! Sed haec requiritur, vt immeabile ingurgitato aquoso diluatur. Dolori artuum? Is autem a praegressa concussionem pendet, quam haemorrhagia proprie impedire non potest, nisi nociua simul fiat. Dolori capitis? Possit is omnino quodammodo haemorrhagia imminui, cumque nullius sit vtilitatis, etiam salutariter. Quum interea producta aut praegressa eiusmodi haemorrhagia huncce dolorem restinguere nequeat, nisi alia salubria molimina cum eo opprimantur: absurdum sine dubio foret, si quis haemorrhagiam optaret, aut excitaret, ad reprimendum hocce symptoma, quod non adeo vrget, breuiore temporis interuallo euanescit, atque longe tutioribus remediis, qualia sunt nota temperantia, imminui potest. Tertia itaque tantum restat haemorrhagiarum vtilitas, cum qua naturam febrium intermittentium comparare debemus, congestionis nempe decrementum. Vere incidunt, vti dein constabit, casus, in quibus tam valida sub febribus intermittentibus obseruatur congestio, vt haemorrhagia summe vtilis esse possit. In febre autem intermittente simplici & in se spectata neque deriuando etiam conducit haemorrhagia. De iis congestionibus, quae in secundo febris intermittentis stadio contingere solent, iam dixi. Quod autem eas atinet, quae sub frigore febrili eueniunt: istae equidem saepe funestae sunt & periculosae, at iterum ab accidentalibus potius circumstantiis, quam a natura febrium pendent. Modo enim a constitutione epidemica, vti SYDENHAMVS, WERLHOFIVS aliique notarunt, modo a morbo adiuncto,

Et, prouti EVGALENS de Scorbuticorum febribus intermittibus memorat, modo a senio & summa corporis debilitate, vii Perillustr. *van SWIETEN* tradit (l. cit. §. 754.), oriuntur. Quoniam itaque periculum harum congestionum ab ipsa februm intermittentium essentia minime proficiscitur, verum ab accessoriis quibusdam circumstantiis, ab his vero ad illam neutiquam consequentia valet: elucescit, haemorrhagias in febribus intermittibus, simpliciter consideratis, ne ob congestiones quidem & derivationem optandas esse. Satis itaque docui, *haemorrhagias in febribus intermittibus directe nullius esse usus.*

§. VII.

*Nocet potius.*

Verum enim vero haemorrhagiae non tantum nullius sunt usus in febre intermittente simpliciter tali, sed nocebunt potius. Notum enim est, haemorrhagiam quidem, quando non indicatur, debilitare, licet tunc, quando indicatur, non tantum non debilitet, sed roboret. Quoniam nunc ex §. anteced. patet, haemorrhagias in febre intermittente, in se considerata, nullius esse usus, seu, quod idem est, non indicari: sequitur, eas ortas aut excitatas corpus, febre adfectum intermittente, solvere debere. Quantum vero hinc nocebunt! Duo tantum sunt auxilia, quibus morbos superamus: natura & ars. Quid vero haec, quid illa iuvare possunt, quando robur corporis est fractum? Dicit *BOERHAAVIUS* (l. cit. §. 762.): *Venaesectio per se nocet semper* (in febribus nempe intermittibus); atque *Perill. van SWIETEN* ob debilitatem, quam inducit, eam nocere affirmat. Nonne ei spontanea haemorrhagia ob eandem causam substitui potest? Ut autem intelligas, quantum ex hac debilitate ad corpus, febre intermittente derentum, redundet incommodum: damna exinde oriunda paulo accuratius pensabimus.

D

§. VIII.

## §. VIII.

*Illius damna speciatim considerantur.*

Hinc nempe sequentia mala producuntur: I. *Febris protrahitur.* Quum enim virium debilitas efficiat, ut caussa morbosa rite subigi, coqui, mutari & expelli nequeat, diutius omnino remanebit atque febrem efficere perget. Damnatur in eiusmodi febribus Venaeſectionem & catharsin SYDENHAMVS (Oper. omn. pag. 186.), dicitque, *utramque, relaxando tonum, morbum protrahere.* Vid. quoque pag. 54. Idem obseruauit STORCHIVS in casu, cuius mentionem iniicit §. V. n. IX. & in alio, ubi ipsemet deceptus Venaeſectionem admiserat (loc. cit. pag. 112.). Conf. etiam Perilluſtr. van SWIETEN l. c. Comprobare hoc adhuc possumus alia obseruatione. Docuit experientia, victum tenuem in febribus intermittentibus nocere (BOERHAAVE loc. cit. §. 762.) morbumque protrahere posse. Nonne haemorrhagia ob eandem causam nocebit? II. *Facile recidua inducitur.* Quo debilius enim est corpus a morbo: eo facilius recidua illius fit. Dum ergo haemorrhagia in febribus intermittibus debilitat, praeter morbum tunc alia debilitatis causa accedit. Quam facile ergo recidua orietur? STORCHIVS l. c. pag. 103. non diuturnitatem tantum morbi a Venaeſectione & haemorrhagia narium obseruauit, sed frequentes etiam reciduas. III. *Febris talis facile in continuam abit.* Quando febres intermittentes in continuas transeunt, magnum tunc inducitur periculum. Notat id BOERHAAVE l. c. §. 752. SYDENHAMVS etiam refert (l. m. c.), febrem intermittentem epidemicam intermissionis loco remissionem tantum aegro concessisse, & magis in dies ad continuarum speciem accessisse, tacto cerebro tandem haud paucos extinxisse. Atque Perilluſtr. van SWIETEN monet (l. c. §. 754.), tunc demum inter alia periculo vacare febres intermittentes, quando sine duplicatis & protractis

tractis paroxysmis existunt, atque non in continuitatem vergunt. Quum ergo mutatio febris intermittens in continuam tam periculosa sit: nociva procul dubio erit euacuatio, quae transitum huncce efficit. Pater vero hoc de haemorrhagia. Dum enim debilitat: sensibilitatem non solum haud raro auget, ergo causam febris intermittens (§. III.); sed excretiones etiam & coctiones materiae impedit, unde non poterit non paroxysmorum protractio & continuitas oriri. Saepe id etiam docuit experientia. MORTON l. c. pag. 55. haec habet: *Nec minus Venae sectio, praesertim in primo insultu paroxysmi, priusquam spiritus sese libere expandant, perperam celebrata, spiritus labefactando, venenatum fomitem ad lethalem usque gradum statim exaltare solet: aut saltem febrem intermittentem in continuam, si non malignam, cum diversissimis symptomatibus in genere nervoso sociatam, mutat. Idem non raro in praxi observare licet, ubi a Natura ipsa magnae haemorrhagiae in primo paroxysmi insultu contigerint.* LANCISIVS, in Libro de noxiis Paludum effluviis (pag. m. 158.), idem confirmat. Quibus enim vena in febribus intermittibus pertundebatur, in continuas demum & malignas incidebant. IV. *Malas haud raro metastases efficit.* Quando vires corporis humani in febribus intermittibus convenienter agunt, tunc materia febrilis rite coquitur atque expellitur, neque noxa hinc oritur. Quando autem agunt quidem, sed minus convenienter atque copiae materiae febrilis non exacte proportionate: fieri tunc vix aliter potest, quin metastases, tanquam crises imperfectae, orientur. Numquam eiusmodi metastases satis facile feruntur. Quodsi vero ad nobilia loca ferantur, caput nempe & pulmones; quodsi inflammationes internas ciant; quodsi horrendos spasmos aliaque incommoda procreent, quis, quaeso, tunc de eandem insalubritate dubitabit? At enim vero haemorrhagiae

infelices hasce metaftases, corpus debilitando viriumque robur frangendo, nimis frequenter inferre folent. Vid. quae modo ex MORTONO adduxi. In cafu, quem STORCHIVS l. c. pag. 103. attulit, ob Venaeftionem febris fere pleuritica infequebatur, atque in alio, qui fuafu Chirurghi in febre tertiana venam feccandam concefferat, rheumatici dolores, fopita licet febre, oboriebantur, qui aegrum demum, male tractati, trucidabant. Paucis duo exempla memorat Illuftr. b. m. HOFFMANNVS (Medic. confult. Part. II. pag. 92. 93.), quae huc etiam pertinent. Venaeftionem infeccuta eft apoplexia lethalis. Plures infelices eiusmodi cafus exftant in Obferuatorum monumentis. Sed adducta fufficiant. *V. Mala, a febris intermittibus diu protractis oriunda, faepe augentur faciliusque occurrunt.* Haec enim mala a debilitate oriri, facile patet. Pulcre hac de re differit SYDENHAMVS l. c. pag. 54. *Dictae febres (tertianae), inquit, nifi Chirurghi gladiolus eodem ictu, quo venam pertundit, ipfam etiam febrem confodiat, etiam in vegetioribus & athletice caetera valentibus, non nifi longo temporis tractu expugnari fe patiuntur; in prouectioribus autem diutinum febris cruciatum tandem etiam mors excipit; quam prae fortibus iam effe haud raro denuntiat lethalis illa tonsillarum inflammationis, cuius fecimus mentionem. Adde, quod Venaeftio alia etiam fymptomata illa maturius accersit, quae febres autumnales intermittentes in ftatu declinationis vel comitari diximus, vel a tergo fequi.* Poftea de febre quartana loquitur: *Quartanarius, inquit, in tantum obest plebotomia, vt iuuenes, qui a morbo alias intra fex menses fuiffent liberati, per fex adhuc alios ab eodem detineantur, aetateque prouectiores, qui, nifi fanguinem detraxiffent, intra annum poterant fanari, morbum etiam ultra ftatutum illud tempus alere periclitantur, ac denique ab eodem victi succumbere.* Ex his fimul

mul damnum adparet, quod eiusmodi mala corpori inferunt.  
VI. *Nonnunquam subitanea mors ab eiusmodi haemorrhagia oriri potest.* Contingere hoc potest, quando haemorrhagia adeo est effera, ut vel suffocatione, vel, ob nimiam celeremque fluidi vitalis euacuationem, aeger pereat (nam de morte, quae a metastasi mala, propter haemorrhagiam facta, exoritur, iam locuti sumus). Referendus huc est casus, quem ex BALLONIO adduxi §. IV. Neque miraberis, adeo atroces haemorrhagias in febribus intermittentibus contingere posse, quando perpendis, quam graues causae concurrere queant ad producendam eiusmodi haemorrhagiam (§§. IV. V.). Victus vero tenuis, abstinentia exactaque diaeta, quae toties in febribus intermittentibus periculosa & morbifera obseruata sunt (Perill. *van SWIETEN* l. c. §. 762.), quum paullo excedenti haemorrhagiae, effectuum respectu, substitui possint, id, quod de his dixi, confirmare queunt. Demum VII. *noua nonnunquam haemorrhagia enascitur*, quae insalubritatem prioris necessario, ut ex haetenus dictis elucescit, auget. Vidimus obseruationem, hoc confirmantem, §. V. Neque causa nouae eiusmodi haemorrhagiae latere potest. Prior enim, quae non indicabatur, motum sanguinis turbat. Quis vero est, quin sciat, hinc haemorrhagias saepe saepius proficisci? Praeterea ista, ut n. IV. euicimus, mala, a febre intermittente metuenda, accelerat. Verum de his demonstrauius, ea haemorrhagarum spontaneorum causas existere. Vid. §. V. in quo hac de re disseruimus.

§. IX.

*Alia momenta, quae de insalubritate haemorrhagarum notari debent.*

Atque haec sunt generalia illa momenta, quae noxam haemorrhagarum, siue spontaneorum, siue artificialium, in fe-

bribus intermittentibus ostendunt. Poterunt interim alia adhuc momenta attendi, quae, quando occurrunt, infalubritatem harum euacuationum, modo hac, modo illa ratione, augent. Ita *locus, copia, tempus, causa, corporis status, morbi diuturnitas*, considerationem merentur. Pauca de his afferam, cum facilia sint. Damnant Semiologi haemorrhagiam, quae vel ex incongruo & nobili loco, vel nimia in copia contingit. Eadem ergo hic considerari debent. BALLONII Observatio (§. IV.) nimiae haemorrhagiae damna ostendit in febribus intermittentibus. Clar. STÖRCK (Ann. med. I. pag. 75.) adeo malam in febribus intermittentibus iudicat tussim, *pectus dilacerantem & sanguinem educentem*, ut cortice statim Peruviano febrim supprimendam esse crediderit, nullo procul dubio alio ex fundamento, quam quod alias non solum haemoptysis, periculosa iam ob locum haemorrhagia, sed etiam, effera accedente tussi, nimis larga metuenda fuisset. Atque haec de *loco & copia*. Verum *tempus* quoque *febris*, quo euenit haemorrhagia, non negligi debet. Poterit nempe haec apyrexiae, frigoris, aestus & sudoris tempore contingere. Quenam erit magis damnosa? Illa sine dubio, quae vel sub frigore, vel sub sudore febrili euenit. Talis enim, propter ipsam frigoris intensitatem, facile fit effera, aut nimium mutando circulum sanguinis vel necat, vel aliud periculum infert. Vid. quae ex MORTONO §. IV. & §. anteced. adduxi. Haec vero ob inordinatum sanguinis motum, quem aut supponit, aut producit, excretionem materiae turbat, quod, quam periculosum hoc febris tempore sit, nemo non nescit. Conf. Perill. van SWIETEN loc. cit. §. 753. Tempore autem orgasmi (nisi aliud quid obster), & maxime tempore apyrexiae facilius fieri potest. Quando interea haemorrhagia non indicatur, quouis tempore est mala (§. anteced.), atque ipso tempore remissionis, quodsi praecipue proxime ante  
acces-



accessum febris oriatur; tunc enim debilitando corpus efficit, ut paroxysmo ferendo impar sit aeger (§. cit.), a quo summum imminet periculum. Unde etiam Venaesectio potissimum damnatur, quae die febrili ante paroxysmum instituitur. *Causa* porro haemorrhagiae spontaneae, quae comitem se adiungit febrif intermittenti, indagari debet. Quae ab inducta fluidorum acrimonia provenit haemorrhagia (§. V.), maxime est damnosa, dum summam ostendit fluidorum corruptionem. Explicat hinc Perillust. van SWIETEN notissimum illum HIPPOCRATIS Aphorismum: *Quibus in febribus quartanis sanguis e naribus fluxerit, alium est.* Dicit enim, eiusmodi haemorrhagiam ostendere *faciliorem vasorum solutionem a sanguine acriore* (l. c. §. 753.). Neque ea melior est, quae a viscerum obstructione oboritur (§. V.). Erit enim signum visceris maxime laesi. Conf. Illustr. PRAESIDIS *Fund. Semiol. med. Part. II. Sect. III. Cap. I. §. X.* Quae porro a debilitate proficiscitur, valde est mala, prouti id ex iis patet, quae de debilitatis effectibus §. antec. dixi. Nunc haec haemorrhagia debilitatem (modo non fit apparens) auget (§. VII.). Minime itaque erit laudanda. Monui porro §. antec. quod, quando febris intermittens in continuam abit, periculosus sit status. Nisi ergo haemorrhagia, quae a continuitate febris intermittens oboritur (§. V.), aliunde bona sit (de qua re postea), male semper continget. Haemorrhagia dein, quae ab intensiore frigore febrili pender (§. IV.), itidem periculosa est. Hoc vero iam ex iis elucescit, quae, dum tempus haemorrhagiae considerabam, differui. Quae demum haemorrhagiae ex reliquis causis (§§. IV. V.), praeter criticum molimen (de quo in sequentibus), oriuntur: eae partim ex allatis, partim ex statu aegri speciali, partim ex iis, quae infra de haemorrhagiarum in febribus intermittibus salubritate afferam, facile diiudicari possunt. Sed corporis  
etiam

etiam *status* est considerandus. Ostendi §. VII. haemorrhagias ideo in febribus intermittentibus, in se consideratis, nocere, quod corpori debilitatem inducant. Quo magis ergo vires corporis iam fractae sunt, aut senium obtinet: eo magis erit haemorrhagia damnanda. Tandem *morbi diuturnitatem* respicere debemus. Febris intermittens, vti in antecedentibus est demonstratum, corpus, quod adficit, debilitat. Quo diutius ergo perseverat: eo maiori in gradu debilitantur vires. Verum haemorrhagia non minus debilitat (§. VII.). Quando itaque cetera eadem sunt, haemorrhagia in febribus intermittibus eo magis nocebit (§. VIII.), quo diutius iam corpus febre est detentum. Accedit, quod, cum diuturnitate febris, acrimonia viscerumque obstructio incrementum, de quibus modo docui, quam periculosae haemorrhagiae existant causae.

## §. X.

*Dantur interea casus salubrium in febribus intermittibus haemorrhagiarum.*

Quando in scientiis casus occurrunt compositi, qui limae subiiciendi sunt: solemus tunc caute simplices separatim considerare, hisque demum expensis ad magis compositos transire. Consideravi haec tunc febrem intermittentem in se spectatam, adque eam haemorrhagias accedentes reruli. Docui, in his casibus haemorrhagias potius esse nociuas, quam salubres. Nunc vero quaestio erit formanda: annon in casu quodam composito, vbi accidentales quaedam circumstantiae febre intermittenti adiunctae deprehenduntur, haemorrhagiae salubres existant? Quod si iam cum hac quaestione conferam, quae ratio & observationes praestantissimorum Medicorum docent, nonnullas omnino deprehendo conditiones, in quibus salubres  
magis,

magis, quam nociuas fuisse haemorrhagias in febribus intermittibus, perspicio. Considerabimus istas. Pertinet huc I. *Plethora valde vrgens*. Quando plethora sub febre intermittente non multum vrget: haemorrhagia non erit laudanda. In sanguineis, febribus intermittibus detentis, licet procul dubio ad plethoram sint procliuēs, V. Sectio nihilominus nocuit (STORCH. l. c. p. III.). Quando autem valde plethora vrget: utilis omnino erit haemorrhagia. Accedente enim ad febrem intermittentem vrgente plethora, non solum transitus in continuam facile oritur, sed haemorrhagiae etiam efferae, suffocationes, summae debilitates, imo mors ipsa facile contingunt. Venaesectio autem vel aliae moderatae haemorrhagiae omnia haec damna praecauent. Nonne itaque salutare erunt? Conferatur hic casus, quem BALLONIVS enarrat (§. IV.). Alii idem confirmant. HOFFMANNVS iis certe non est adnumerandus, qui, sine vlla rerum circumstantium consideratione, Venaesectionem in febribus intermittibus suadent. Nihilominus in casu, de quo loquor, Venaesectionem necessariam esse iudicat. Videatur, vt vnicum tantum EXEIVS scriptis exemplum afferam, *Medic. Syst. rar.* Tom. IV. Part. I. pag. 35. Obs. II. MORTONVS, qui, vt vidimus, neque Venaesectioni, neque haemorrhagiis spontaneis in febribus intermittibus fauet, nonnunquam tamen Venaesectione vsus est, prouti patet ex historiis, quas *Doctrinae de febribus intermittibus* adiunxit, vt proteiformis illarum indoles intelligatur. Inter has nonnullae occurrunt, quae vrgentem in aegro adfuisse plethoram suadent, quamuis hac de re filcat MORTONVS. Nocere Venaesectionem per se in febribus intermittibus, alias vero casu prodesse, BOERHAAVIUS contendit (l. c. §. 762.). Ad fortuitos hos casus Perill. van SWIETEN eum inter alia refert, vbi corpus est *iuvenile plethoricum*. Commendat etiam TISSOTVS (l. c. pag. 269.) Venaesectionem, quando in febribus intermittentibus

E

tibus

bus pulsus est plenus, qui signum est vrgentioris plethoras. Demum WERLHOFIVS Venaesectionem in simili statu, sub periculosa quadam epidemica grassatione, admittit (l. c. pag. 73. 74.). Eo autem magis in hoc casu Venaesectionem, aut haemorrhagiam spontaneam laudare possumus, quo certius est, quod, minuendo plethoram, corpori nouum quasi ad superandam febrem robur addat. II. *Orgasmus valde intensus.* Is enim, vti plethora vrgens, periculosa in febribus producere solet symptomatica. Haemorrhagia autem, dum copiam sanguinis imminuit, orgasmum temperat. Bona itaque in hoc casu erit, ac salubris. Conf. MORTON. l. c. WERLHOF l. m. c. Perill. van SWIETEN l. c. TISSOTVS l. c. HOFFMANNVS l. c. Obseru. IV. pag. 39. III. *Congestio sanguinis notabilis.* Hinc enim alias dolores summi, virium oppressiones, morbi duratio, inflammationes, sopores, rupturae & mala hinc prouenientia oriri possunt. Quam utilis itaque tunc erit spontanea, aut artificialis haemorrhagia: *Potest, inquit Perillustr. van SWIETEN, Venaesectio casu prodesse — dum ingens capitis dolor ab eadem causa (a plethora & rarefactione) vrget.* Obseruauit MORTONVS, *febrem intermittentem typum spasmi vniuersalis cum dolore vniuersali acutissimo, & heu-matismum spasmodicum referente, coniuincti, primum induentem* (l. c. pag. 123.). *Prae uehementia dolorum & diuturnitate, sine viribus & anhelus iacet aeger, ac si illico animam efflaturus. Urina reddebatur tenuis, clara & copiosa; pulsus erat admodum debilis & celer.* Commendauit in hoc rerum statu MORTONVS Venaesectionem aliaque, vnde pulsus in fortem & celerem commutabatur. Confer. etiam HOFFMANNVS l. m. c. & pag. 67. §. VIII. vbi testatur, in congestione sanguinis versus viscera abdominalia sub quartana (cuius signa attulit), hanc *contumacem vnica Venaesectione penitus esse discussam.* Sustentabat in hoc casu congestio febrem quartanam, quod & ipse

HOFF-

HOFFMANNVS innuere videtur. Nonne ergo Venaeſectio conducere debebat? Clar. rissot Venaeſectionem in febribus intermittibus commendat, quando capitis dolor ingens, faciei rubor, pulſus plenus & durus, ruſſis & perdurans poſt paroxyſmum pulſum durities praefſto ſunt (l. c. §. 230. pag. 269.). Demum werlhovius, de curatione febris intermittens epidemicae ſoporofae differens, haec inter alia habet: *Venaeſectio pro plethorae, orgasmi, & virium modulo, plenitudinem minuire, ſtaſes, inflammationes & raptus ad cerebrum praepedire, & orgasmo ſanguineo naturaeque nutui obſequi, in pluribus neceſſum fuit* (Obſervat. de Febr. pag. 74.). Satis ex his conſtat, quantum haemorrhagia in febribus intermittibus proſit, quando morabilis adefſ ſanguinis congeſtio.

§. XI.

*Alia ſalubrium cuiusmodi haemorrhagiarum momenta.*

Haec, quae in §. anteced. dixi, omnes iſtos caſus continent, in quibus ſub febribus intermittibus utilis eſt haemorrhagia, cum, euacuando nimiam ſanguinis copiam, temperando orgasmum & minuendo congeſtiones, corpori noſtro tantum proficua eſſe poſſit. Interea ſub iſtis caſibus alii adhuc continentur, qui notari debent, vt exactius de ſalubritate haemorrhagiarum in febribus intermittibus iudicium formari queat. Patet nempe ex dictis: I. *Criticam haemorrhagiam eſſe ſalubrem.* Quando, quae de cauſa februm intermittentium §. III. dixi, perpenduntur, eluceſcit exinde, febreſ intermittentes ab omni eo proficisci poſſe, quod nervos dererminata ratione, quam exacte aſſignare non poſſumus, irritat. Iam vero plethora, orgasmus, congeſtio ſanguinis, innumeris fere modis nervos irritare ſolent. Nonne itaque probabile erit, inter eos talem quoque deprehendi, qualis ad producen-

ducendas febres intermittentes requiritur. Minime hoc absolum videbitur, quando HOFFMANNI obseruatio (§. antec.) atque criticarum sub febribus intermittentibus haemorrhagiarum exempla, superius (§. V.) data, accuratius considerantur. Quodsi vero plethora, orgasmus, congestio sanguinis, causae sint febrium intermittentium: nonne hae ideo per sufficientem haemorrhagiam critice solui poterunt? Sine dubio! Conf. §. V. & anteced. Haec vero haemorrhagia cum causam morbi occasionalem tollat, omnino utilis esse debet. II. *Haemorrhagiam, quae a febre intermittente, in continuam transeunte, producitur, utilem & salubrem esse posse.* Euiusmodi dedi §. IX. haemorrhagiam, quae a continuitate febris intermittentis pendet, non adeo esse salubrem, nisi aliunde bona sit. Adiecta haec limitatio nunc ex §. anteced. diiudicari potest. Quando nempe continuitas a sola plethora aut simplici rarefacti sanguinis orgasmo oboritur: haemorrhagia tunc antecedens continuitatem febris tollit, simulque periculum, a febre continua metuendum, minuit (§. anteced.), idque eo magis, quo certius est, quod summe indicata haec haemorrhagia corporis robur augeat. Quando contra ea febris continuitas a debilitate corporis vera potius, quam a plethora, aut simplici rarefacti sanguinis orgasmo nascitur (qua de re conferri potest §. V.), utique tunc haemorrhagia nocebit (§. IX.). Augebit enim debilitatem (§. IV.), hinc ipsam febris continuitatem (§. V.) transitumque in lentam aut alios acutos & chronicos morbos. Conf. Illustr. PRAESIDIS *Fund. Semiol. med.* pag. II. §. V. Hoc, quod exposui, momentum maxime notari debet. Ut utilitatem eius in praxi medica taceam: eo etiam inferuit, ut varia celeberrimorum Medicorum iudicia, sibi contraria visa, diiudicari queant; quod, ne hoc in dubium voces, vnico tantum exemplo corroborabo. SYDENHAMVS (*Oper. omn.* pag. 186.) in febribus intermit-

remittentibus, quae in continuitatis vicinitate haerent, Venaesectionem aliaque euacuantia damnat. HOFFMANNVS plane contrarium statuere videtur. Ita enim *Med. system. ration.* pag. 30. §. X. loquitur: *Sanguinis missio in tertiana summa cum cautione instituenda. Nimirum, quando febris primum accedens continuæ speciem refert — — utiliter utique vena pertunditur.* Numquid autem haec SYDENHAMI testimonio vere contradicunt? Minime! SYDENHAMVS enim de epidemica constitutione loquitur, HOFFMANNVS de tertiana absque ea occurrente. Hic ergo attendit continuitatem febris, a plethora & simplici orgasmo productam, ille vero eandem ab acri aëreo enatam. Patet hoc, quando alia loca, quae in scriptis HOFFMANNI exstant, considerantur. In eo, quem citavi, loco, manifesto de ea, quam dixi, continuitate loquitur. Differt enim de aestu ingenti cum delirio, tempore aestiuo, vigente aegri aetate, sanguinis abundantia, diaeta vinosâ. Nonne haec plethoram, nonne simplicem magis orgasmum indicant? Quando autem de epidemicis febribus intermittibus verba facit, Venaesectionem aequè ac SYDENHAMVS damnat. Conf. l. c. pag. 109. Minime ergo dicere possumus, HOFFMANNVM SYDENHAMO contrariari. Eadem regula in diiudicandis aliis, quae sibi opposita esse videri possunt, iudiciis obseruari debet. Vna enim est veritas, atque experientia sibi contradicere nequit.

SCHOL. Plura omnino momenta hic afferre possem, ex quibus salubritas haemorrhagiarum, nonnunquam obseruata, diiudicari posset. Omisi vero haec, cum, quae tunc produciuntur, utilitas, ad febrem intermittentem ipsam minorem aut plane nullum habeat respectum. Ita in grauiditate concurrente Venaesectionem omittendam non esse, censet *Illustr. b. m.* HOFFMANNVS, atque ipse SYDENHAMVS in plethoricis & iuuenili corpore ante dandum emeticum Venaesectione opus esse iudicat.

iudicat. Hi similesque casus ad nostram non pertinent tractationem. Quare mihi omittendi videbantur. Ceterum de iis casibus, in quibus salubrem haemorrhagiam sub febris intermittentibus affirmavi, duo adhuc momenta notari debent. Primo eiusmodi haemorrhagiam, quamvis indicetur, posse nihil minus ob certas qualitates insalubrem fieri. Sic haemorrhagia eiusmodi, quando excedit, aut deficit, aut ex incongruo loco contingit, aut minus convenienti tempore oboritur (§. IX.), insalubris esset, quamvis indicaretur. Secundo, in febribus intermittentibus accidere posse, ut nonnullae aliae circumstantiae internae & externae magis ad huc salubrem haemorrhagiam necessariam reddant. Huc grauiditas, exhibendum in corpore plethorico emeticum, aestas, tempus vernale aliaque pertinent. Haec enim modo plethorae, modo orgasmis periculosos effectus augent adeo, ut ad hos provocandos haemorrhagia artificiali opus sit. Haecenus ergo generatim haemorrhagiarum in febribus intermittentibus salubritatem consideravi. Patet exinde, quam vere dixerit SYLVIVS (Oper. omn. p. 805. n. CLXXVIII): *Non negamus, conducere aliquando in febribus intermittentibus Venesectionem* (aut haemorrhagiam spontaneam), *sanguinisque missionem, verum non tanquam intermittentibus febribus, sed tanquam symptomatibus, ipsas comitantibus.* Poteris etiam exinde adeo diversa Medicorum de Venesectione aut aliis haemorrhagiis in febribus intermittentibus iudicia conciliare, dum alii illas ad coelum fere extollunt, alii e contrario nimium deprimunt, alii denique, omnibus rite expensis, modo salubres, modo insalubres extraxisse dicunt. Horum vestigia, ut ex haecenus dictis intelligitur, praemenda sunt. Lege ideo HOFFMANNI scripta, in quibus haec passim sunt pertractata.

## §. XII.

*Haemorrhagiae cum speciebus febrium intermittentium comparantur.*

Quamquam autem ex antea demonstratis generalia illa momenta intelligi possunt, ad quae in diiudicandis haemorrhagiis,



rhagiis, febribus intermittibus accedentibus, attendere debemus: iuuabit tamen, hasce etiam euacuationes ad febrium intermittantium species referre. Non omnes tamen hic percurram, neque omnia; quae de qualibet specie dicere possem, afferam. Notabilia enim adduxisse sufficiet. Occurret hic primo febris vere intermittens & ea, quae ad continuam accedit (§. II.). Verum de his febrium intermittantium speciebus iam dixi, atque, in quantum haemorrhagiae aut salubres, aut insalubres in iisdem sint, docui. Vid. §§. VI. – XI. Reliquae itaque pensandae supersunt. I. *Epidemicae.* Damnauit in iisdem, ut §. anteq. perspeximus, SYDENHAMVS Venae-sectionem; damnauit eandem HOFFMANNVS. Verum WERLHOFIVS in epidemica illa febrium soporosarum grassatione eam nonnunquam necessariam & vtilem fuisse l. c. affirmat. Quid ergo de haemorrhagiis, in febribus intermittibus epidemicis obuenientibus, iudicandum erit? Docet experientia, febres intermittentes epidemicas modo continuarum, modo vere intermittantium instar incedere. Verum ostendi in anteq. in quantum in his illisue haemorrhagiae conueniant, aut insalubres sint. Poteritne ergo hinc quoque intelligi, quid de salubritate haemorrhagarum in febribus intermittibus epidemicis sentiendum sit? Quodsi nempe conditiones, §. X. expositae, in eiusmodi febribus occurrant, ita, ut urgeant: salubris omnino erit haemorrhagia conueniens. Confer. hic WERLHOFIVS l. c. Quodsi contra ea hae circumstantiae absint, quodsi continuitas a solo acri aëreo pendeat: nociuae tunc erunt haemorrhagiae. Vid. §§. VII. IX. XI. II. *Endemiae & sporadicae.* De his plura dicenda non sunt. Haec enim facile ex prioribus diiudicari possunt; endemiae vero ad epidemicas propius accedunt. Quum interea endemiae ab aëre corrupto potius oriantur: patet, rarissime hic haemorrhagias conducere.

III. *Ver-*

III. *Vernae & autumnales.* Quum, docente SYDENHAMO, autumnales longe sint vernis diuturniores, atque frigus demum hyemale orgasmum eiusque malos effectus praepediat: nullum est dubium, quin in autumnalibus haemorrhagiae minus, quam in vernis, conducant. In vernis enim aëris externi calor haemorrhagias, in corporibus potissimum valde plethoricis, iuuenilibus aliisque similibus, necessarias reddit, quas etiam corpora, cum febris sit leuior atque expandens calor aëris accedat, haud difficulter ferunt. In autumnalibus autem non solum illa necessitas, ob frigus externum, cessat, sed ob diuturnitatem etiam febris eiusque magnitudinem, quibus corporis vires nimium quantum atteruntur, sanguinis euacuationes minime conferunt (§. VII.).

IV. *Contagiosae.* In his acre quoddam obtinet, quod illi simile est, cui febres exanthematicae contagiosae debentur. Haemorrhagia ergo huic febrī, in se consideratae, minime responder. Quando autem ob allegatas condiciones (§. X.) exterminatio acris impeditur: conueniet tunc omnino haemorrhagia, alias salubris.

V. *Malignae.* Hae fere semper ad epidemicas pertinent, de quibus iam locutus sum. Quodsi interea casus incidant febrium intermittentium malignarum non epidemicarum: tunc causa erit inuestiganda, quae periculosum illud symptoma, cui malignitas debetur, producit. Adparebit tunc, plethoram, orgasmum enormem & congestionem immoderatam nonnunquam periculosi symptomatis existere causas, quo in casu haemorrhagia, generatim considerata, conueniet. Quando autem vera quaedam debilitas, aut alia conditio, quae ad descriptas referri non potest, causam malignitatis in se continet: haemorrhagia non solum minime erit laudanda, verum potius damnanda, vti ex superioribus facile intelligi potest. Atque haec etiam ad malignas epidemicas adplicari possunt.

VI. *Tertianae quotidianae,*

nae, quartanae. In quartana potissimum nociuam inuenit Venaefectionem SYDENHAMVS, deque quotidiana affirmat HOFFMANNVS, eam Venaefectionem rarissime admittere. Videntur hae obseruationes februm diurnitati respondere. Notum enim est, quartanam plerumque quotidiana, & quotidianam plerumque tertiana esse diurniorem. Quoniam nunc ipsa morbi diurnitas debilitat: non mirandum erit, quod haemorrhagia eo magis in febris intermittenibus nociua sit, quo diurniores sunt, in quibus oboritur. VII. *Topicae.* Quum istae nil sint, nisi febres intermittentes, verum parti cuidam tantum inhaerentes: in iis etiam, aeque ac in febris intermittenibus vniuersalibus, potius nociua, quam salutaris erit haemorrhagia, siue natura, siue arte producta. Confer. de pertractatis his februm speciebus HOFFMANNVS, SYDENHAM, Perillustr. *van SWIETEN*, WERLHOF, STÖRCK, TISSOT alique, quos passim allegaui.

SCHOL. Superfunt equidem nonnullae aliae februm intermittenantium species, cum quarum genio haemorrhagias conferre deberem. Ast ex adductis iam dicenda satis diiudicari possunt. Ita duplicatae, triplicatae, protractae, ad febres intermittentes continuas quodammodo referri possunt. Obueniens ergo in illis haemorrhagia, ex iis intelligi poterit, quae de haemorrhagiis in febris intermittenibus continuis dixi. De rarioribus illis februm intermittenantium speciebus, quintana nempe, sextana, &c. cum infrequentiores sint, atque ad tertianas & quartanas illegitimas reduci queant, nihil monebo. Quod demum syncopales, apoplecticas, soporosas attinet: hae ad malignas pertinent, de quibus, quatenus haemorrhagiis stipatae sunt, disserui. Neque, si dicta a nobis perpendantur, ignorare quis potest, quid de haemorrhagiis in *semiteriana* sentiendum sit? Quum enim haec febris ex tertiana intermittente & continua sit composita; ad naturam februm intermittenantium continuarum quodammodo accedit. Hinc, nisi conditiones praedictae

(§. X.) adfuerint, damnanda erit haemorrhagia. *Sanguinis missio*, inquit HOFFMANNVS (l. c. pag. 117. §. VII.), *in hac febre (semtertiana) non facile locum habet, nisi eminent plethora, vrgens aestus, in corpore agili adhuc & criticarum haemorrhagiarum suppressione affecto. Tum utique pernecessaria, ad lethalem inflammationem intestinorum praecauendam.*

## §. XIII.

*Regulae practicae.*

Consideratis iam omnibus, quae de salubritate haemorrhagiarum in febribus intermittentibus dici possunt; *regulas* quasdam adiungam, quae ex antecedentibus fluunt. Sunt autem illae sequentis tenoris:

I) *Venaesectio in febribus intermittentibus caute erit suscipienda.* Numquam ea erit commendanda, nisi descriptae §. X. conditiones adfuerint atque illam vrgent.

II) *Quodsi vero istae conditiones obtineant, tunc etiam non adeo illa est reformidanda, ut omittatur.* Alias tristis ille euentus, quem BALLONIVS refert, metuendus erit.

III) *Quando Venaesectio necessaria iudicatur: tunc loci, temporis morbi, plethorae, orgasmii, congestionis, huius effectuum & corporis aegri, ratio habeatur (§. IX.).* Confer. etiam WERLHOF l. c. pag. 74.

IV) *Si Venaesectio incongrua iam ratione peracta fuerit, aut haemorrhagia effera contigerit: opus tunc erit, ut nutritibus corpus quantocyus resciciatur.* Sic enim fit, ut debilitas (§. VII.) tanta incrementa capere nequeat.

V) *Si haemorrhagia effera, aut eius recursus metuendus sit a paroxysmo: sopienda tunc erit febris.* Quod fit cortice Peruviano, notis sub cautelis exhibito.

VI) *Causae haemorrhagiae malae obuiam eundem est.* Quando v. g. primarum viarum cruditates haemorrhagiam produ-

producunt: pro ratione loci, cui cruditates inhaerent, modo vomitorio, modo laxante remedio utendum est. Quando obfructiones viscerum, aut acrimonia fluidorum praesto est, resolutiva tunc & antiscorbutica praescribenda erunt. Atque sic etiam in aliis casibus agendum est; caueatur modo, ne, quacunque ex causa, sanguinis morus nimium perturbetur.

VII) *Quando haemorrhagia tempore sudoris obuenit: eo admitendum erit, ut hic quam minime perturbetur.* Fit hoc remediis, quae sudorem blandissime promouent, qualia sunt, quae BOERHAAVIUS commendat, l. cit. §. 764. Pisana interim vinoso omittatur. Si haemorrhagia tempore frigoris contingat: frigus equidem minuendum foret; verum hic apta fatis & sufficientia remedia desiderantur. Videndum tamen foret, annon aquae calidae usu externo, conuenientibus deriuantibus atque lectuli calore, vile quidquam impetrari posset.

VIII) *Quando insalubris quaedam haemorrhagia tempore orgasmi, aut apyrexiae obuenit: temperantibus tunc, aliisque utendum est, quae in Therapia contra insalubres haemorrhagias commendantur.* Eo modo respiciatur, ut caueatur, ne talia seligantur, quae feбри intermittenti contraria sunt, aut in casu quodam speciali saltem nociua esse possunt.

IX) *Quando haemorrhagia in corpore, febre intermittente detento, indicatur: melius tunc erit Venaesectionem ad-ministrare, quam spontaneam quandam haemorrhagiam expectare.* Hinc,

X) *quando naturalis, sed insufficiens, contigit: Venae-sectione nibilo minus utendum erit.*

XI) *Si forsitan fiat, ut haemorrhagia non solum necessaria sit, sed etiam molimina ad eandem iam adpareant; verum ex his intelligatur, haemorrhagiam ex loco incongruo metuendam esse: conandum tunc erit, ut haec haemorrhagia, nisi*

nisi magnum & instans periculum ex eius retentione metuen-  
dum sit, praecaueatur, atque dein congruo tempore Venae-  
sectio instituenda erit.

XII) Quando autem haemorrhagia ex loco incongruo  
iam contigit: eo tamen respiciendum erit, ut laesio partis aut  
alia mala praepediantur. Demum

XIII) critica haemorrhagia minime erit supprimenda,  
beneque perpendendum, quod nullum criticum debeat esse  
paucum.

Ceterum, praeter haec omnia, corpora singularia attendi  
debent. Horum enim qualitates semper nouas suppeditant  
regulas, quas in scientiis omnes tractare & suppeditare non  
possumus. Nam, ut pulcre WERLHOFIVS, ait, *inexhaustae do-  
ctrinae liber est, quem nobis per omnem aetatem attente per-  
lustrandum proposuimus, neque perdiscemus unquam.*  
corpus humanum aegrotum singulare.

T A N T V M.



01 A 6530

ULB Halle


002 928 71X

3



W1860112







DE  
 DE DIIVDICANDA  
 ORRHAGIARVM  
 BVVS INTERMITTENTIBVS  
 SALVBRITE

VINI NVMINIS AVSPICHS

ET  
 GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM  
 MA REGIA FRIDERICIANA  
 PRAESIDE

EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

EA ELIA BÜCHNERO

ROMANI IMPERII NOBILI,  
 PRUSSIAE REGIS A CONSILII INTIMIS,  
 OPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,  
 ORE ET H. T. DECANO, REGIOR. ALVMN. EPHORO,  
 T. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO;  
 VM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.  
 ET MONSPELIENS. SODALI,

ADV DOCTORIS

MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
 TORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

VEMBRIS, A. R. S. MDCCCXLV.

H. L. Q. C.

PVBLICE DISPVTABIT

AVCTOR

ERICVS GVILIELM. RVDOLPH  
 RIAEMONTANO-MISNICVS.

VRG. TYPIS IO. CHRIST. HENDELII VIDVAE.

